



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio IV. Verbum diuinum vnitur intrinsecè humanitati, & non extrinsecè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom. q. non influant in vnionem, nec in compositum ratione illius: ergo constituere compositum ut formam, non est influere in vnionem: compositum autem semper vocatur effectus formæ, quia ex illa resultat: ut ego id appello disp. 4. Phisic. §. 23. & 24. & disp. 6. à §. 11. Secundò, responderi potest defensa sententia communi de causalitate formæ: materia enim est principium per se influens cum mutatione sui recipiens denominationem, forma verò dans.

§. 14. Cùm ergo subiectum influat cum mutatione sui ex præciso influxu; oportet explicare quid sit ita influere, & mutari. Inluit, dum ex illo fit aliquid: id enim est proprium causæ receptiua; quemadmodum ex materia fit statua. est tamen diuersa ratio: quia statua includit materiam ipsam; ex ea materia autem fit forma: quia materia intrinsecè accipit actionem, ut intrinsecè vnatur formæ ad faciendum vnum recipiendo denominationem. nec mihi occurrunt termini clariore: ij enim sunt per se noti: & quia materia supponitur generationi, & manet in toto composito, habet maiorem similitudinem cum artis materia: ob quod compositum fit ex materia. formæ autem materiales dicuntur educi ex potentia passiuâ materia: quia inluit in illas accipiendo intrinsecam ab illis denominationem. Ob quod generatio esteductio formæ ex potentia subiecti, creatio verò ex nihilo, id est, ex nullo subiecto. ergo fieri ex subiecto est fieri ex aliquo; oppositum fieri ex nihilo.

§. 15. Mutari autè est esse subiectum motus actualiter: motus autem est *actus entis in potentia prout in potentia.* est autem duplex potentia motus, altera actiua, altera passiuâ: de vtraque definitionem accepi disp. 11. Phisic. §. 2. Communiter accipitur de sola potentia passiuâ: materia non est potentia actiua motus, ut est per se notum: ergo est potentia passiuâ: igitur exercere actum ut potentiam passiuam, est mutari: quæ potentia passiuâ præcessit cum carentia eius actus: sine quo carebat eius actualitate. Esse igitur id, ex quo aliquid fit, ex quo educitur forma, & quod accipit actum, ut potentia ab illo recipiens denominationem, est esse subiectum.

SECTIO II.

Verbum non est subiectum vnionis hypostaticæ.

§. 16. **V**Nde deduco, Verbum non esse subiectum vnionis hypostaticæ. quod est per se notum. Primum, quia Verbum non est subiectum Incarnationis: quia illud non attingit immediatè, sed solam humanitatem, ex qua fit: ergo nec est subiectum vnionis. Consequentia patet ex §. 1. quia idem est subiectum actionis, & termini.

§. 17. Secundò, quia subiectum est obnoxium mutationi; mutatio autem arguit imperfectionem: sed Verbum nulli mutationi est obnoxium, nec imperfectioni: ergo non est subiectum. Maior est communis hominum sensus. *Motus enim est actus entis in potentia prout in potentia:* id est, est à potentia actiua, ut est potentia actiua, & in potentia passiuâ ut est passio: at actiua per motum mutat, non

mutatur: ergo potentia passiuâ est, quæ mutatur per motum: quia illum intrinsecè recipit ut actum mouentem: item se habet in ratione subiecti aliter intrinsecè quàm antea: depellit enim priuationem antiquam accipiens de nouo ei oppositum. Minor est certo certior. Quis enim adeò insaniet, ut censeat Deum subiecti posse mutationum vicissitudinibus, & carere perfectione aliqua? Hæc enim est ratio à priori: quia Deus est purus actus habens in se formaliter omnem perfectionem imaginabilem seclusis eius imperfectionibus: quibus autem caret formaliter, perficitur eminenter: & quia non potest capere earum perfectiones formaliter, quin & imperfectiones; ideo ad nullum actum aut perfectionem est in potentia; secus creaturæ.

SECTIO III.

Humanitas est subiectum vnionis hypostaticæ.

§. 18. **H**umanitas autem est subiectum vnionis hypostaticæ. Vnionem esse in aliquo subiecto, est tam certum, quàm vnionem corporis & animi, & formas omnes (si à rationali discedas) de quo nunc haud est agendum: cum ergo Verbum non sit eius subiectum, erit humanitas: nullum enim aliud superest.

§. 19. Secundò probatur. Humanitas mutatur per vnionem hypostaticam (ut mox dico.) ergo est eius subiectum. Consequentia patet ex §. 17. quia *motus est actus entis in potentia prout in potentia.* Antecedens probatur in corpore Christi, quod ante vnionem hypostaticam carebat realiter ea vnione, & terminabatur substantia creatâ: deinde depositâ ipsi substantiâ, & vitæ priuatione, accipit substantiam Verbi & vnionem ipsi corpori quasi inhærentem, & ab ipso pendentem, ut prior substantia pendeat: ergo corpus Christi mutatur; anima verò non est actu mutata propriè: quia eodem instanti reali creationis vnita fuit Verbo; at potuit mutari.

§. 20. Tertiò, quia corpus & anima perficiuntur vnione: ergo vnionem recipiunt per motum & dependentiam à subiecto. Consequentia probatur à §. 27. Antecedens negari non potest: quia illa humanitas accipit maximam perfectionem, quas creatura capere potest.

SECTIO IV.

Verbum diuinum vnitur intrinsecè humanitati, & non extrinsecè.

§. 21. **D**isp. 21. à §. 40. probaui Verbum vniri humanitati intrinsecè. Lorca disp. 15. num. 4. asserit humanitatem vnitam intrinsecè Verbo; Verbum autem humanitati nõ nisi extrinsecè. Quam doctrinam asserit esse communem Theologis recentioribus. At certè, qui sua scripta euulgarunt recenter, id minimè dicunt, sed oppositum aut asserunt, aut insinuant, aut ex ipsis bene colliguntur: nec in hac Salmanticensi Academia ea sententia auditur; fortè in Complutenfi erit

communis. Quam, ne malè audiat, ego explico, non de vnione extrinseca per denominationem extrinsecam; sed extrinsecà acceptà, vt opponitur inharenti & subiectiua.

SUBSECTIO I.

Conclusio.

§. 22. Dico igitur, Verbum vniri humanitati intrinsecè, & non extrinsecè. Primùm probatur: quia humanitas vnitur Verbo intrinsecè: ergo & Verbum humanitati. Consequentia patet ex disp. 21. §. 40.

§. 23. Probatur Secundo: Verbum cum humanitate constituit vnum perfe, & non per accidens: ergo Verbum intrinsecè vnitur humanitati. Antecedens negari non potest nec ex fide, nec ratione supposità fide de Incarnatione. Ex fide: quia definitum est contra Nestorium & alios, vnionem factam secundum hypostasim & substantias, & vnionem esse substantialem, quod conuenire non potest enti per accidens: quod vt sic non habet vnionem secundum substantiam, aut hypostasim. Ratione verò: quia Verbum constituit hominem cum humanitate: homo autem est vnum per se, & non per accidens. Consequentia probatur: quia quod vnum est extrinsecè cum alio, non facit cum illo vnum per se, sed per accidens; plura verò absolute: ergo Verbum non est vnum humanitati extrinsecè. Probo antecedens: quia vniri extrinsecè absolute est esse diuisum ab alio extrinseco, & non esse vnum tertium cum illo, sed plura: ergo. Probo antecedens, Primùm ab exemplis: actio creata est absolute diuisa à Deo, quamuis illi vnita extrinsecè: quia dicit tam essentiali cum illo connexionem, quam vnio cum Verbo. Visio beata nostra, est absolute diuisa à Deo, nec illi absolute vnita; quamuis extrinsecè est illi vnita: quia cognitio est vnio intentionalis cum obiecto. Amor Dei etiam est vnio extrinseca cum illo, & non est absolute illi vnitus, nec cum illo facit vnum. Nestorius constituebat vnionem extrinsecam inter Verbum & humanitatem per affectum: quia erat intrinseca humanitati, cuius affectus in illa sunt; & tamen constituebat plures, & non per se vniam personam. Concilia verò eum damnant, non quòd ex suppositione vnionis extrinsecæ afferebat duas personas; sed quòd extrinsecam vnionem admiserit: perinde enim est vnio extrinseca, ac vnio per accidens. ob quod definirunt vnionem substantialem, & secundum hypostasim, vt extrinsecam rejicerent. Milites item exercitus sunt vniti per accidens, quamuis extrinsecè vniantur.

§. 24. Secundo probatur idem antecedens: nempe quod est extrinsecum alicui rei, non esse illi vnum absolute, sed absolute diuisum, & plura facere: quia vnio constituit extrema intra id quod componunt: quia vnio corporis & animi ea constituit intra humanitatem, & continuatio constituit partes intra lineam: sed vnio extrinseca non constituit extremum extrinsecum intra id quod componit, sed extra: ergo vnio Verbi illud constituit extra humanitatem, si est extrinseca. Minor probatur, quia vnio est intra illud intrinsecum, quod vnit vt subiectum, & intrinsecè: ergo quod est extra vnionem, est etiam extra illud totum: erit

quidem vtrumque extremum intra aggregatum resultans ex vnione extrinseca; non verò intra compositum illud per se. Vnde Verbum erit extra humanitatem, & extra hominem; eritque homo per extrinsecam denominationem vt est agens, imò vt homo est vestitus. Nec enim immensitas sola facit creaturas vnitas Deo: sed modus alius particularis, qui hunc effectum formalem redderet, tamen Verbum non esset immentum: quia supponeret indistantiam, quod est contra conceptum vnionis extrinsecæ, quæ est per se independens à coexistentia in loco: vt vestis non est in eodem loco cum vestito, nec cognitio cum obiecto.

§. 25. A priori non habet probationem. Prima enim principia non possunt à priori probari: at sunt termini isti omnino primi, extrinsecum, & non vnum, siue diuisum: quia vnio est coniunctio: extrinseca autem non sunt coniuncta, sed separata; non quidem loco: quia id non est necesse; sed abiuncta, & non facientia vnum. Hæc autem explicamus per alios terminos minus claros, vt morem illis geramus, quos dixit Aristoteles habere intellectum percipientem per se nota per ea quæ per se nota non sunt. Tandem Verbum non est intrinsecè diuisum ab humanitate: ergo est intrinsecè indiuisum: ergo intrinsecè vnum: quia indiuisum & vnum sunt idem: itaque omnia quæ existunt, aut sunt intrinsecè diuisa aut indiuisa: si diuisa, non faciunt vnum per se; si indiuisa, sunt vnita.

§. 26. Obijcis, Verbum esse extrinsecum extremum vnionis; humanitatem autem intrinsecum: quod sufficit ad faciendum indiuisum, & vnum per se. Iam ostendi disp. 21. à §. 40. eadem vnione, qua vnum extremum alteri vnitur intrinsecè, vtrumque intrinsecè vniri. Do tamen disputandi gratia, quod argumentum vult: ostendo Verbum non fieri hominem intrinsecè, sed per extrinsecam denominationem: quia quasi formæ aut rationi formali hominis Verbum est extrinsecum, & non intrinsecum: ergo quasi effectui formali humanitatis & vnionis est Verbum extrinsecum: ergo Verbum est denominatio extrinseca humanitati: ergo humanitas est per extrinsecam denominationem subsistens. quamuis ergo effectus formales humanitatis sint intrinseci; tamen formales Verbi sunt extrinseci: erit ergo Verbum extra conceptum intrinsecum hominis. At qui potest apprehendi humanitas intrinseca Verbo, & Verbum extrinsecum humanitati? Existimo hos auctores non in hoc sensu locutos, sed in proposito §. 21.

SUBSECTIO II.

Difficilia argumenta.

§. 27. Hic tam certæ doctrinæ non desunt difficultates satis ingentes. P. Suarez disp. 8. sect. 4. verò Respondetur hanc esse, dicit eam esse in tota Theologia vniam ex difficillimis: quam propterea inexplicitam reliquit, sicut & ceteri, qui eam vix attigere. Prima, quia Verbum diuinum mutatur vnione hypostatica: hoc autem quis vel insanus admittat? ergo. Probo Maiorem, Verbum se intrinsecè haberet aliter ac antea, & haberet intrinsecum prædicatum nouum depellens priuationem antiquam: sed hoc mutationem includit: ergo. Minor patet, quia aliter se habere intrinsecè,

est

§. Thom. 9. est habere nouum statum intrinsecum: quod quidem mutationem includit. Hoc argumentum propositum ferè est volum. I. disp. 5. Physic. §. 132. quod sub nomine perfectionis proposueram à §. 67. eiusdem.

§. 28. Nego Maiorem. Ad probationem, distinguo antecedens: Verbum se habet intrinsecè aliter ac antea absolute & simpliciter, nego: secundùm quid, concedo: ergo mutatur, nego consequentiã: quia mutari est habere motum, vt eum habet potentia passiuã, vt probaui à §. 17. *Motus enim est actus entis in potentia.* Dum ergo Verbum non est potentia passiuã motus, motus non est actus illius in ratione passibilis; dum autem eum non patitur, non mutatur. Quod autem dicit Verbum depulisse priuationem, est falsum: quia priuatio vnionis non potest esse in Verbo: est enim *carentia forma in subiecto apto illam habere.* Verbum autem non est subiectum aptum illi: ergo non depulit priuationem. Latè autem & metaphoricè dicitur depulisse priuationem, id est, habere de nouo prædicatum, quod non habebat, cuius priuatio præcessit partim in materia prima humanitatis, & potuit diuinitus præcedere in anima. Idem dico ad rationem status intrinseci: non enim qualibet vicissitudo status intrinseci est motus; sed vicissitudo priuationis, & motus in subiecto vtriusque: est ergo Verbum intrinsecum in ratione termini, non verò in ratione subiecti: ob quod non mutatur.

§. 29. Obijcis Secundò: Ergo Verbum mutatur secundùm quid: quia secundùm quid se habet aliter ac antè. Nego consequentiã: quia motus est actus entis in potentia: at nec est actus secundùm quid, nec secundùm quid potentia: aliter autem secundùm quid est propter vicissitudinem diuersorum prædicatorum. prædicata autem quædam sunt actus & carentia in subiecto; & hæc sunt motus: quædam verò sunt extrinsecæ vt agens, & non agens: quædam intrinsecæ in ratione puri termini; & hæc sunt aliter & aliter se habere secundùm quid: quia simpliciter se aliter habere conuertitur cum moueri.

§. 30. Imò hinc probo Verbum nec vnione intrinsecæ mutari: quia quod mutatur, pellit ex se priuationem motus; sed Verbum eam à se non pellit: ergo non mutatur. Maior probatur: quia motus est inter terminos formales à quo, & ad què: ille est priuatio termini producti, hic terminus ipse productus. Ibi ergo ponitur motus vt in subiecto, vbi præcesserat priuatio, & motus, & termini etiam vt in subiecto. Minor est clara: quia Verbum non habet in se priuationem: quia nec potest vt subiectum habere vnionem: ergo non depulit priuationem ex se: eam autem depulit ex corpore Christi, & potuit diuinitus depellere ex anima, quæ potuit præcedere tempore vnionem.

§. 31. Obijcis Tertio: Terminus vt terminus mutatur per actionem illum attingentem: ergo & Verbum. Probo antecedens: quia accidentia Eucharistica mutantur creatione, quia antea erant educta; postea verò sunt creata, & non educta. Respondeo à me dictum disp. 5. Physic. §. 133. ijs accidentibus duo contigisse, alterum est vicissitudo productionum diuersarum, eductio, & creatio: per quas accidentia mutantur efficienter, quia de non esse traducuntur ad esse: quod est quodammodo & non propriè mutari. Secundum est

vicissitudo vnionis, & eius carentiæ: per actionem terminatam ad vnionem mutantur propriè. Distinguo igitur antecedens. mutantur propriè sub ratione termini, nego antecedens; sub ratione subiecti, concedo; & nego consequentiã. Verbum enim nullam illarum habet mutationem. non primam, quia non habet vicissitudinem in existendo, & non existendo: nec secundam, quia non habet vicissitudinem in ratione subiecti. adagium, *omne vnibile est mutabile*, est verum de creato, quod vnitur vt subiectum; non verò de increato, quod vnitur vt purè terminus: nec creatum mutatur nisi vt est subiectum.

§. 32. Arguis Quarto: Verbum non perfici vnione hypostatica: ergo non vnitur intrinsecè etiam in ratione termini. Hoc argumentum latè proposui vol. I. disp. 5. Physic. à §. 60. ad 71. & §. 132. Aliqui censent, ad rationem perfectionis satis esse rem vniri alicui vt subiecto susceptiuo, quamuis non receptiuo; vt, corpus perficitur animo rationali, quamuis illum non recipit, sed suscipit tantum. Contrà: Si præcisè consideretur ratio susceptionis sine ordine ad motum, Verbum dici posset subiectum susceptiuum humanitatis & vnionis: quia ab vtraque denominatur *vnitum*, & *homo*: ergo perficitur ab vtraque. Ratio autem, ob quam corpus perficitur animo, est, quia hic vnitur corpori per vnionem dependentem à corpore subiectiuè. Ob quod animus secundùm se petit vniri per motum, cuius est terminus formalis; Verbum autem sibi nihil vniri per motum in ipso receptum, nec perfici potest. Quapropter §. 10. negaui Deo rationem subiecti.

§. 33. Alij censent Verbum non perfici: quia est incapax perfectionis à creatura. Contrà: Non est incapax vnionis intrinsecæ cum creatura: ergo non est incapax perfectionis ab illa: quæ est idem cum vnione intrinsecæ.

§. 34. Iam ostendi vol. I. disp. 5. Physic. à §. 60. omnem perfectionem alicuius rei distinctæ à se, esse actum illius: id autem quod perficitur, est subiectum mutabile per talem actum, vel secundùm se, vt sunt formæ dependentes à subiecto, vel vt vnitæ, vt est animus rationalis: omnis enim forma est terminus formalis vnionis; quam vnio terminat vt quo in ratione producti, & forma vt quod in ratione communicati. itaque omnis forma est terminus formalis motus generatiui. & quamuis de facto non vnirentur per motum, sed per creationem; adhuc subiectum perficitur: quia ibi sunt vnio & forma communicantes suos effectus formales; quæ ex natura sua petunt vniri per motum: nec est aliqua perfectio alicuius rei distinctæ, quæ non sit verè actus & forma talis rei, terminus formalis eductionis talis rei ex subiecto perfectibili.

§. 73. Ad eò vt materia prima secundùm se non sit perfectio formæ: quia nec materia est actus formæ, nec forma subiectum materiæ: at vnio materiæ vt recipitur in formam, est perfectio formæ: quia vnio est actus formæ, & hæc subiectum vnionis. In continuo vna pars non est perfectio alius: quia non est eius forma, aut actus: at continuatio est vtrique perfectio: igitur omnis res vnita vt actus, est perfectio; secus quæ non vt actus. idem patet in intentione: ergo vt res perficiat aliam, non est satis illi vniri intrinsecè, sed in ratione actus vnibi-

vnibilis per motum. Accidentia creata non sunt in se perfectiora seipsis deductis.

§.36. Ad argumentum ex §. 32. nego antecedens. Ad probationem respondeo, non esse satis vniri intrinsecè nisi vt subiecto susceptiuo formæ, & receptiuo vnionis, vel receptiuo vtriusque: Verbo autem vt subiecto susceptiuo, aut passiuo nihil vnitur, ac propterea nec illud perficit. E contra verò substantia Verbi vnitur humanitati more formæ vt subiecto susceptiuo, explicato §. 10. quia hypostasis est independens ab humanitate; illi tamen vnitur per vnionem ab illa subiectiue dependentem, more animi rationalis. Tota hæc doctrina tam necessaria ad tuendum hoc mysterium, deducitur ex principijs philosophicis; quæ latè proposui, & probaui diuersis in locis philosophicè præsertim disp. 5. Physic. à §. 60. ad 71. & §. 132. & 133. gnauam operam nauans philosophicè præceptis ad propugnanda hæc mysteria, ne philosophi ab illa abhorreant. licet enim præcipua fundamenta fidei sint diuina auctoritas, & reuelatio: at si possunt propugnari integra lege philosophicè, est in eorum commendationem, vt faciliùs admittantur ab hominibus adiutis gratia Dei.

§.37. Quintò potest argui: Verbum vnitur intrinsecè humanitati: ergo vt subiectum, aut forma. Probo consequentiam: quia nulla est alia intrinseca vnio. Hoc argumentum petit explicationem termini intrinseci: quia hoc vnionis genere Verbum humanitati vnitur.

SECTIO V.

De termino Incarnationis & Unionis.

SUBSECTIO I.

Varia termini vsurpatio.

§.38. **T**erminus à terminando est: extemum cuiusque rei: limites, extra quos nihil est eius rei, intra quos est ipsa tota. vt terminus imperij, regni, aut prouinciæ est intra quem est totum regnum: puncta sunt quæ terminant lineam: terminus peremptorius, vltra quem non prorogatur negotium: sic extrema propositionis vocantur *termini* ab Aristot.

§.39. In itineribus frequenter vtimur *via*, & *termino*; *via* est id, quo tendimus ab vno loco in alium: terminus alius à *quo*, alius ad *quem*. Ego petro Valmaseda Bilbaum: terminus à *quo* eo est Valmaseda; ad *quem* verò Bilbaum: quia ab altera incipio, & in altero sisto. *via* autem est iter interiectum inter vtrumque terminum; vterque autem est extremum *via*.

§.40. Hinc translata vox ad motum quemlibet. Motus est à priuatione ad formam illi contradicentem, generatio à non homine ad hominem, alteratio à non calido ad calidum. aliquando à forma ad contrariam: calefactio à frigido ad calidum. vt enim itinere relinquimus terminum à *quo*, & adimus terminum ad *quem*: sic generatione relinquimus non homo, & fit homo: ob quod res destructa per motum est terminus à *quo*, sicut locus desertus; & res acquisita terminus ad *quem*, vt locus ad quem itur est terminus ad *quem*. quæ significatio est nobis necessaria.

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

§.41. Alia significatio est apprimè necessaria. §. Thom. 9. Vnio versatur inter extrema. Quæ vnuntur dicuntur *extrema*; vnio autem est *extremorum vinculum*: quia inter extrema interijcitur vnio, ea quæ iungit; vt via iungit terminos, & pons interiectus iungit terram aquis distitam: ob quod subiectum & prædicatum propositionis dicuntur *termini*; & *extrema*: quia verbum substantiuum ea coniungit, quod dicitur *vnio*, aut *copula*. Hinc materia & forma sunt termini vnionis; Verbum & humanitas termini vnionis hypostaticæ, quia ea vnuntur: quando autem aliquod extremum præter vniri habet influxum physicum, dicitur subiectum, aut efficiens.

SUBSECTIO II.

Termini à quo, & ad quem vnionis.

§.42. **I**ncarnatio est motus ad vnionem hypostaticam; terminus à *quo* vt *quo* est non vnio: cum enim Incarnatio facta sit in tempore, tota æternitate præcessit eius non esse, quod est non vnio. vt ergo vnio hypostatica est terminus formalis *quo*: ita eius carentia est terminus à *quo* vt *quò*, siue, vt ita dicam, formalis *quo*.

§.43. Hæc non vnio potest considerari in materia prima corporis Christi, & in anima. In corpore fuit vera carentia: quia corpus exiit diu sine ea vnione, quam postea habuit: vnde per verum motum depulit priuationem, & acquisiuit vnionem. Quæ carentia supposita eleuatione Dei fuit priuatio; in cæteris non eleuatis est negatio: quia cum eleuatione possunt formam habere; secus absque eleuatione. In anima non vnio non fuit priuatio; quia anima numquam caruit vnione: vnde numquam fuit actu subiectum carens forma, potuit tamen habere. Ob quod Incarnatio non fuit verè motus comparatione animæ.

§.44. Terminus à *quo* totalis est persona diuina tantum, & non humana: tunc enim Verbum præcesserat persona diuina, nec erat humana: quia carebat quasi effecti formali humanitatis: destruitur autem illa carentia personæ humanæ vt humanæ, siue carentia effectus formalis humanitatis. vt terminus totalis generationis humanæ, est non homo: quia præcesserat materia prima cum carentia vnionis, & effectus formalis animi rationalis: destruitur autem generatione non homo, quod fit destruendo carentiam vnionis inter corpus & animam: quia vt terminus ad *quem* totalis est concretum ex vnione, & extremis: ita & terminus à *quo* totalis est carentia eius concreti significata concretè, & non abstractè. Vide igitur quid destructum est Incarnatione, illud que erit terminus à *quo*. destruitur autem in Verbo non esse hominem, non quòd in illo destruat vera priuatio, sed quia est illa prædicatorum intrinsecorum vicissitudo in ratione termini intrinseci.

§.45. Terminus ad *quem* est contradictione oppositus termino à *quo*: est igitur terminus ad *quem* vt *quo* vnio ipsa, quæ producitur Incarnatione: terminus totalis est compositum resultans ex vnione, & extremis, *Deus-homo*, siue persona diuina & humana, composita ex substantia Verbi, naturisque diuina & humana: quia id resultat & fit Incarnatione, vt homo fit generatione: fit enim vt *quod* id, quod resultat ex vnione, vt sæpè dixi. de termino

T autem